PAX NON PAX.
SEV

Rationes aliquot, quibus Confœderationis Euangelicorum cum Catholicis pacem, nullo modo veram esse pacem, breuiter ostenditur.

Ierem: 6. ℣. 14.

Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes: Pax, pax, & non erat pax.

Cicero Philip: 3.

Dulce est nomen pacis, res verò ipsa tum iucunda, tum salutaris;
Sed
Pax est repudianda, si sub eius nomine latet bellum.

Sallust: de bello Iugurt.

Pax diuersis in mentibus esse non potest.

Anno Domini. 1615.

PAX NON PAX.

IAm diu est, ex quo in Polonia agitatur ista quæstio: An Confœderatio Euangelicorũ cum Catholicis, perpetua lege sancienda sit & stabilienda. Qui Confœderationem promouent, publicæ pacis argumento potissimùm nituntur. Aiunt enim, Cõfœderationem ad animos Euãgelicorum cum Catholicis in mutua pace coniungendos, perquàm esse accommodatam. Sed non desunt complures eæq;, vt videtur, firmæ admodum rationes, quibus huiusmodi Cõfœderationis pacem, nullo modo pacem veram & esse & appellari posse demõstretur. Quas in eorum gratiam, qui super hoc negotio deliberaturi sunt, logico more breuiter & succinctè conclusas duxi proponendas.

PRIMA est. Pax Dei cum diabolo non est pax. Sed pax Confœderationis, est pax Dei cum diabolo, ergò non est pax. Maior est Apostoli 2. Cor: 7. qui dicit: *Nolite iugũ ducere cum infidelibus.* Rationem reddit. *Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis?* quasi diceret: fieri non potest, vt vera & firma pace, iustitia cum iniquitate, lux cum tenebris, Christus cum Belial, fideles cum infidelibus, templum Dei cum idolis conueniat. Habemus ergò ex Apostolo, inter Deum & Belial pacem non posse consistere. Minorem probo. Quia fides vera spectat ad Christum vt auctorem, perfidia & hæresis spectat ad diabolum vt auctorem. Ergò perfidiam velle cum fide firma pace copulare, est velle diabolum cum Deo firma pace copulare. quod fieri non potest. Nam diabolus quamdiu est diabolus, nunquam Deum odio habere, nunquam desinet oppugnare, & verum cultum eius extinguere moliri. Porro id vnum agit Confœderatio, vt perfidia & hæ-

resis firma pace cum vera fide copuletur, quia vult repugnantes de fide sententias fouere. At verò vbi agitur de fidei materia, ex pluribus contrariis sententiis, vna solùm vera fides est, altera perfidia & hæresis. V.g. Eucharistiæ Sacramentum, est aliquid à Deo reuelatum: Si ergò vera & Catholica fides est, in hoc Sacramento realiter & substantialiter Christi corpus & sanguinem præsentem adesse: perfidia & hæresis est, Christi corpus & sanguinē realiter & substantialiter ab hoc Sacramento abesse. *Vnus enim Dominus est, vna fides, vnum baptisma,* ait Apostolus. Ergò diuersa & contraria de rebus fidei sentientes, velle firma pace cōiungere, est velle diabolum cum Christo conciliare, velle efficere, vt diabolus non sit diabolus, neq; Christi nomen & cultum extinctum cupiat. Hoc argumento vtebatur Hilarius apud Constantium Augustum hæreticum Imperatorem. *Quicquid,* inquit, *præter vnam fidem est, perfidia non fides est. Vnum Dominum agnoscimus, vnam fidem, vnum baptisma, vnum Deum & Patrem omnium confitemur, vnum Deum patrum nostrorum, vnam fidem patrum nostrorum. Si quid extra fidem illam concesserimus, perfidiam concesserimus. quod procul absit à Rege Christiano, Catholico & orthodoxo. quamobrem perfidiam à nobis approbari nemo petat. &c.* Dicet aliquis. Fieri quidem non potest, vt Catholicus hæretici perfidiam approbet, vel è contrario, hæreticus fidem Catholici veram esse putet; sed tamen nihil impedit, quominus in diuersitate fidei, pacem inter se mutuam colant. Hoc verò est velle efficere, vt diabolus auctor hæreseos, desinat esse diabolus, desinat perfidiam suam, vt proprium suum partum fouere & propagare, & Christo vt fidei auctori, non amplius nocere velle. Quod quanam arte & Cōfœderatione fieri possit, non video. Ante leues ergò pascentur in æthere cerui.

Hilar: ad Constantiū August.

SECVNDA. Pax quæ est mater & nutrix dissensionū non est pax: huiusmodi est pax confœderationis. Quia pax Cōfœderationis, est permissio variarum religionum, quam

quam esse matrem & nutricem dissensionum, semper est ab omnibus iudicatum, vt probat fusè vir eruditissimus Iustus Lipsius lib: 4. Ciuilis doctrinæ cap: 2. & in libel: aduersus Dialogistam. Et inprimis Ægyptij Reges ideo miscellam & variam religionem permittebant, stabiliendo, vt falsò putabant, sceptro. quia videbant Ægyptios variis religionibus inter se distractos, non posse vnquam inter se aduersus reges conspirare: iudicabant ergò cum diuersitate religionum, consensionem animorũ non posse consistere: & varietate religionum ad hoc vtebantur, vt subditis inter se distractis & dissentientibus, imperium ipsi securiùs obtinerent. Itaque in eo quidem grauiter errabant, quòd per miscellam religionem sceptra sua stabilire volebant; sed hoc verè iudicabant, homines inter se religione discordes, conuenire nunquã posse, sed dissensionibus semper mutuis agitari. Mœcenas apud Dionem lib: 52. huiusmodi consilium Augusto dabat. *Eos qui in diuinis aliquid innouant, odio habe & coërce: non Deorum solùm causa (quos tamen qui contemnit nec aliud quicquam magni fecerit) sed quia noua quædam numina, hi tales introducentes, multos impellunt ad mutationem rerum. Vnde coniurationes, seditiones, conciliabula existunt, res profectò minimè conducibiles Principatui. &c.* Exempla dat Lipsius, quæ apud ipsum legãtur. Sed omnium exemplorum instar sunt seditiones & bella in Europa, ex huius temporis hæresibus consecuta. De impio illo Apostata Iuliano Ammianus in hunc modum scribit: *Dissidentes Christianorum Antistites cum plebe discissa in Palatium intromissos, monebat, vt ciuilibus discordiis consopitis, suæ quisq; religioni seruiret intrepidus. quod agebat adeò obstinatè, vt dissensiones augente licentia, non timeret postea vnanimantem plebem, nullas infestas hominibus bestias, vt sunt sibi plerique Christianorum, expertus.* Hæc Ethnicus iste de Apostata, qui securitatem suam à Christianorum dissidio expectabat. hoc autem dissidium auctum iri iudicabat diuersis in religione opinationibus. Vnde tandem exitium ipsius religionis futurum ominabatur.

Quam eius mentem aperuit, etiam Optatus Mileuitanus, qui de eodem loquens ait: Putabat nomen Christianum posse perire de terris, si vnitati Ecclesiæ, de qua lapsus fuerat, inuideret, & sacrilegas dissensiones liberas esse permitteret. &c. Illud etiam quàm verè iudicabat, non esse vllas bestias infestiores hominibus, quàm sint Christiani, inter se hæresibus & diuersis opinationibus distracti. Quo pacto igitur dissidium religionis, pacis nomine est appellandum, quod homines in feras acerbitate odiorum conuertit? Vtinam non id complures ante annos, Catholici in Gallia essent experti, & nunc in Anglia quotidie experiuntur. Externorum hominum iudicijs, placet quoq; Regum nostrorum adferre super hac re iudicia. Wladislaus Iagello Princeps domus Iagellonicæ, in quodam edicto Wielunij facto, Anno 1424. in quo multa seuerè contra hæreticos sanxit, inter alia ne aliqua Officia terræ perpetua, vt Dignitates, Castellanatus obirent, rationem etiam hanc subdit: *Quia sæpè diuersitas cultus, diuersitatem inducit animorum*. Sigismundus item Primus idem censuit in edicto, Anno *1534.* in quo ex nouitate & varietate religionis, ait seditiones & rerum omnium perturbationem existere: *Videmus*, inquit, *luce meridiana clarius, quantæ seditiones, quantæ cædes, bonorum direptiones, & quanta rerum omnium perturbatio ex his initiis excitata sit. &c.* Deniq; hæc res est clarior, quàm vt probatione indigeat. Magna enim vis est, & magnus zelus religionis. Quare Iosephus in lib: contra Apionem, vbi quærit, quæ causa fuerit, quòd cùm reliquæ omnes gentes facilè secum cõiungerentur, soli Iudæi nullam firmam & constantem amicitiam cum cæteris nationibus coluerint; reddit nõ aliam quàm eam ipsam, disparitatem & dissimilitudinẽ sensus de religione, cultuq; diuino, odiumq; quod inde manat implacabile. Eiusdem illa est præclara sentẽtia: *Vnam habere & eandẽ de Deo sectam, vita verò ac moribus nihil ab inuicem differre, optimã moribus omniũ potest celebrare cõcordiam.* Dionysius verò Areop: li: de diu: nom:

nom:

nom: cap: 5. Geometrica similitudine demonstrat, in disparitate religionis non posse animorum concordiam inueniri. *Vt*, inquit, *lineæ quanto remotiùs à centro discedunt, tantò plus abinuicem separantur, maioreq; interuallo absunt: sic homines quo magis à Deo, qui est rerum omnium principium & centrum omnisq; vnionis fons & origo, veraq; de illo opinione discedunt, eò magis à seipsis distant ac seiunguntur.* Denique Bernar: præclarè lib: 5. de Consid. *Non potest esse Deo contrarium quid, & sibimet cohærere aut secum consentire.* Concludo itaq; hanc rationẽ: Ex varietate opinionum de religione, gignũtur & nutriuntur dissensiones animorum: Ergò non possunt homines, religionibus inter se dissidentes, vlla firma & vera pace coniungi.

TERTIA. Impunitas scelerum, nullo modo est nomine pacis appellanda, aut vera pax censenda. Sed pax Cõfœderationis est impunitas scelerum: Ergò nomine pacis non est appellanda, neq; vera pax censenda. Maior propositio est notissima. Pax enim Reipub: non impunitate scelerum, sed pœna eorundem continetur; impunitas verò scelerum, alendo scelera, pacem Reipub: grauissimè perturbat. Et quamuis interdum impunitatem certi alicuius facinoris, ab aliqua certa persona patrati, imo etiam commissi ab aliqua multitudine, in aliquo certo casu pax Reipub: cõsequi soleat, vt indicant amnistiæ in rebus publicis aliquando laudabiliter & vtiliter vsurpatæ; tamen impunitas scelerum, perpetua & certa lege stabilita, non potest esse Reipub: non perniciosissima, & paci eiusdem non maximè aduersari. Minorem verò sic ostendo: Confœderatio quatuor grauissimorum criminum impunitatem, vult perpetua lege stabiliri: Hæresis, Blasphemiæ, Sacrilegij, & alienorum vsurpationis. De singulis rem breuiter demonstro. De hæresi quidem, quia Confœderatio, vult esse impunitam libertatem fidei. At libertas fidei, est libertas hæreseon. Nam vbi ab vna fide veteri Catholica Romana disceditur, ibi non ampliùs sunt fides, sed

hæreses,

hæreſes, vt ratione prima demonſtraui. Præterea Confœderatio vult ſanciri pacem inter diſſidentes in religione: Atqui diſſidia in religione in materia fidei, ſunt hæreſes. Addo quòd iſti qui optant impunitam libertatem fidei, hoc ipſo teſtantur ſe eſſe hæreticos, & velle hæreſes quaſlibet impunè amplecti. Nam qui fuerunt primi Confœderationis in Polonia authores, volebant euadere pœnas in vetere Confœderatione Corcinenſi in hæreticos conſtitutas, & earum executionem lege lata penitus impediri, & huic ſuo deſiderio & conatui, pacis nomen prætexuerunt: cùm apertè debuiſſent fateri, ſe velle à pœnis hæreticorum liberari. At hoc nihil eſt aliud, quàm hæreſis ſibi conſcios eſſe, & proprio teſtimonio ſe hæreticos eſſe oſtendere. Itaq; præclarè Cardinalis Hoſius ad Sigiſmundum Augu-
Epiſt: 134. ſtum Regem: *Deſinant,* inquit, *eſſe hæretici,* (loquitur de Cõfœderationis authoribus) *& non erunt executioni* (legis ſanctæ Korcinenſis) *obnoxij. Nunc autem quantò magis quod piè ſancitum eſt aduerſus hæreticos in Regni Conſtitutionibus oppugnant, tantò ſe manifeſtiùs hæreticos eſſe demonſtrant; alioqui nihil erat quod ab executione ſibi metuerent.* Hæc ille prudentiſſimè. Idem de Blaſphemia oſtendo. Credere DEVM eſſe authorem peccati, Chriſtum redemptorem noſtrum eſſe purum hominem, DEVM Metaphoricum Semideum, ſacroſanctam Euchariſtiam eſſe DEVM panaceum, Imagines Chriſti & Sanctorum eſſe idola, & id genus alia, ſunt horrẽdæ & manifeſtæ in DEVM blaſphemiæ. Atqui Confœderatio vult illas eſſe impunitas. Præterea, Papam appellare Antichriſtum, Reges Catholicos Papæ adhærentes, Antichriſti ſequaces, idololatras, &c. ſunt apertæ & ſceleratæ blaſphemiæ in eos, qui à DEO ſunt Principes populi conſtituti. At iſtas quoq; & his deteriores, Confœderatio vult eſſe impunitas. Probo idem de Sacrilegiis. Loca & vaſa ſacra in vſus profanos conuertere, eſt ſacrilegium manifeſtum. Sed hoc ſacrilegium impunitum eſt per Confœderationem; & quia impunitum, idcirco ab

Euange-

Euangelicis in Polonia licenter perpetratum. Denique de alienorum vſurpatione ſic probo. Eccleſias & Monaſteria, ad vſum Catholicæ Romanæ religionis exædificata, & Epiſcoporum & aliorum virorum religioſorum iuri & poteſtati ſubiecta, ab Euangelicis occupari, eſt manifeſta alienorum vſurpatio. Similiter fundos, & reditus Eccleſiarum auertere: decimas Eccleſiaſticis hominibus omni iure debitas negare, eſt aliena vſurpare. At hæc omnia beneficio Confœderationis impunita eſſe debent. Ergò maxima quæque ſcelera impunitatem per Confœderationem conſequuntur. Eſt ergò Confœderatio mera ſcelerum impunitas: ac proinde pax nullo modo eſt appellanda. Exemplo res magis declarabitur. Si multi in hoc Regno inter ſe conuenirent, certoque ſcelere inter ſe conſpirarent, & hoc vnum illis eſſet propoſitum, Regiam Maieſtatem cum omnibus Statibus Regni violare, contumelijs proſcindere, in bona aliorum graſſari, peterentq; ſibi horum omnium ſcelerum fieri perpetuam veniam; imò contenderent eripi Magiſtratibus omnem ad eiuſmodi ſcelera coërcenda poteſtatem, num homines Euangelici hanc iſtorum Confœdarationem approbandam, & conſtitutione Comitiorum Regni ſtabiliendam cenſerent. Non arbitror illos tam emotæ mentis futuros.

QVARTA. Pax inſidioſa non eſt pax, vt cuilibet notum eſt. Quando enim inter diſſidentes pax componitur, omnia ſyncerè & apertè quæ vtrinq; poſtulantur, exponi debent. Alioquin vbi fraus & inſidiæ alterius partis deteɥtæ fuerint, neceſſe eſt pacem conſtitutam conuelli. Sed pax Cõfœderationis eſt inſidioſa, ergò non eſt pax. Quòd pax Confœderationis ſit inſidioſa, demõſtro. Quia vnum in ea proponitur apertè, alterum celatur & occultatur inſidioſè. Proponitur apertè quaſuis hæreſes amplectendi libertas, & eius libertatis impunitas, vt iam oſtendi: hæc enim duo, pacis nomine, in Confœderatione intelliguntur. Hæc etiam duo ſunt hactenus Euangelicis re ipſa

 conceſſa,

concessa, etsi nulla lege, quæ veræ legis apud nos rationẽ obtineat, firmata. Nam Confœderationis lex, non potest apud Polonos pro lege haberi, vtpotè quæ vnanimi omnium Ordinum & Statuum cõsensu & approbatione, nunquam hactenus est lata & constituta. Re tamen ipsa, licet impunè Euangelicis apud nos credere quodlibet, non accusantur eo nomine apud Magistratus, non pœnas vllas legum subeunt. Si hoc tantùm in sua Cõfœderatione propositum habent, si hoc vnicum à Catholicis postulant, si hac conditione pacem cum illis colere volunt; quid est quòd toties Confœderationem vrgent, inculcant, & eius importuna postulatione aures Catholicorum obtundunt? Quorsum petunt id quod iam habẽt, & de quo in sinu gaudent? Sed latet anguis in herba. Nam cùm eo quod habent contenti non sunt, signum est eos aliquid ampliùs postulare. Coniecturam meam vt puto, non vanam aperiam. Volunt quibuscunque locis, etiam in Regiis ciuitatibus, suas Ecclesias exædificare, Templa Catholica occupare, profanare, & in eis suum Euangelium prædicare, bona Ecclesiasticorum ministris attribuere, vel in proprios, vel in ministrorum vsus conuertere. & cùm hæc omnia fecerint, nolunt in iudicio legitimè cõueniri, nolunt sententia Iudicum ad restitutionem cõdemnari. Insidiæ, insidiæ. Hoc est, vna manu pacem, altera bellum ostendere; vna manu panem, altera lapidem porrigere. Hæccine est pax Confœderationis, vt tu licenter in meum ius inuadas, & ego tecum iure agere non possim, vt tibi mea per vim occupare, mihi eadem iure non liceat repetere? Hæ né insidiæ sub pulchro nomine pacis inuolutæ occultantur? Apagite cum hac pace. Credite quodlibet, sinimus; pœnis vos nõn coërcemus, sed iura nostra integra & inuiolata relinquite; oculos & manus à nostris rebus abstinete: si secus facitis, non pacem nobiscum colere, sed in iura nostra grassari impunè, & quod consequens est, perpetuam querelarum, litium, odiorum, dissensionum materiam fouere vultis.

QVIN-

QVINTA. Pax quæ vtrique parti diſſidenti non eſt æqualis, non eſt pax; ſed vnius potiùs partis oppreſſio, vt eſt per ſe manifeſtum. Sed pax Confœderationis non eſt Catholicis & Euāgelicis, quæ ſunt partes diſſidētes, æqualis. Ergò non eſt pax, ſed vnius partis, id eſt Catholicorum oppreſſio. Minorem probo tum ex dictis. Nam quænam eſt in hoc æqualitas, vt Euangelici iura Catholicorum violent, & Catholici iure cum illis agere & ſua legitimè repetere non poſſint? Æqualitas Ciuium Reipubl: in hoc conſiſtit, vt vnuſquiſque iure ſuo gaudeat, & in ius alterius nequaquam inuolet: quod ſi inuolauit, cedat & pœnam legum expendat. Tum alia ratione nō minus clara & euidenti. Mos & ius Euangelicorum eſt huiuſmodi, vbi dominantur & rerum potiuntur, omnem Catholicæ religionis publicum vſum & profeſſionem prohibent, & in ſecus facientes grauiſſimis pœnis & ſuppliciis animaduertunt. Ita faciunt in Anglia, Hollandia, Saxonia. &c. & vtcunque apud nos in Polonia. An non Rigenſes Catholicis omnem facultatem ademerunt, publicarum per vrbem proceſſionum & funerum deducendorum? Accidit vt apud eos moreretur vir quidam Catholicus, tantùm abeſt, vt eum Catholico ritu publicè per plateas à Catholicis ad ſepulturam deduci paſſi ſint, vt potiùs funus eius ad ſuam Eccleſiam, publicè conſueta ſibi pompa deduci mandauerint. Res toti Ciuitati Rigenſi notiſſima. Idem tentant Torunenſes. nam proceſſionem Catholicam cum venerabili Sacramento, in feſto Corporis Chriſti non permittunt in foro celebrari: alias etiam proceſſiones quantùm poſſunt impediunt. Elbingæ nullus eſt Catholicæ religionis publicus vſus & exercitium. Gedanenſes in hac parte ſunt mitiores, tamen & hi certos Catholicis cancellos in vſu religionis circumſcribunt. Iam verò vbicumq; degunt Euangelici ſub Magiſtratu Catholico in Ciuitatibus Catholicis, vbi non dominantur ſed ſubſunt, volunt ſibi omnia iuxta ſui Euangelij præſcriptum licere, volunt

ſibi liberas eſſe Eccleſias, libera publica funera, & quid nõ? Etſi hæc ab eis poſtulent Catholici, in Ciuitatibus Euangelicis ſibi concedi, tumultum excuſant. cùm verò eadem in Catholicis ipſi Ciuitatibus vſurpant, omnem abeſſe tumultum volunt, ſecurè & quietè agere cupiunt. O præclaram huius pacis æqualitatem. Si hoc Catholici non vident, neſcio quid vident. Si Euangelici, quod abſit, apud nos rerum potirentur, & Catholici huiuſmodi ab eis pacem peterent, affirmare audeo, nihil impetrarent. Nam hæreſis, vt ſuperba & elata eſt, non eſt æquali iure cum Catholica fide contenta, ſed ea ſuperior euadere, eamque funditus extirpare molitur.

SEXTA. Pax, quæ Eccleſiæ Dei & Reipublicæ noxia eſt, non eſt pax. Sed pax Confœderationis & Eccleſiæ Dei & Reipub: noxia eſt. Ergo. Nam quod ad Eccleſiam attinet, hæc perfidia & hæreſibus mirum in modum perturbatur & vaſtatur. Hæretici ſunt ſingulares feri, qui vineam Chriſti, id eſt, Eccleſiam depaſcuntur. Porrò Confœderatio perfidiam & hæreſes alit, & omnibus Hæreticis tutum & ſecurum receptum præbet. Quod verò etiam ad Rempublicam attinet, multis ei nominibus Confœderatio nocet. Primò: quia fundamentum pacis cuiuſq; Reipublicæ, ſcilicet religionem conuellit. Diuini Platonis
Lib: 10. de Republ. eſt illud: *Omnis humanæ ſocietatis fundamentum conuellit, qui religionem tollit, aut ex animis hominum conuellit.* Et alibi: *Re-*
4. de legibus. *ligionem eſſe firmamentum Reipublicæ: itaq; potiſſima de ea conſtituenda cura Reipub: eſſe debet. &c.* Cùm ergò hæreſes perdant & deſtruant religionem, neceſſe eſt vt Cõfœderatio quæ hæreſes permittit, perdat & deſtruat religionem, & ita fundamentum pacis Reipublicæ euertat. Secundò: Quia inuehit in Rempub: nouitates & mutationes, quibus nihil Reipub: pernicioſius. Rectè enim Plato docet: *Non*
4. de Rep. *poſſe immutari religionem abſq; magna Reipub: immutatione.* Et
2. de legib. Cicero: *Non debet eſſe liberum cuiquam de religione iudicium, quòd hæc libertas magnam pariat perturbationem atque perniciem*

Reipub.

Reipub. Equidem ab homine Ethnico nihil magis christianè & catholicè dici potuit. Tertiò: Quia tollit humanæ societatis vinculum præcipuum fidei consensum. Quomodo enim inter nos bene conueniat, si tu mihi sis Ethnicus, ego tibi publicanus; tu mihi Iudæus, ego tibi Samaritanus? Quæ pars est fideli cum infideli? ait Apostolus. Profectò inter huiusmodi homines, in negotio fidei dissidentes, nihil in commune consuli, nihil ad omnium salutem referri potest, nulla totius corporis Reipublicæ cura, istiusmodi hominibus est; hoc solùm vtile cuique est, quod alteri nocet, ex alieno incommodo, suum quisque commodum parat. Et proinde pacem & concordiam illa Respublica speret nunquam, quæcunque semel dispares & pugnantes intra viscera sua fides recepit. Ex dictis omnibus liquidò demonstratū esse arbitror. Euangelicos, qui Cōfœderationis negotium in Conuentibus particularibus & generalibus Regni promouent, non paci studere, sed materiā dissidijs & turbationibus ministrare. Vt quid enim tàm pertinaciter à Catholicis id petunt, quod ab eis sibi concedi non posse, non sunt nescij? Vt quid hac proposita conditione, ad Reip: negocia tractanda solent accedere, vt eorum Confœderationem omnium Catholicorū calculo vim legis perpetuæ obtineat? Occasionem quærit, qui vult discedere ab amico, dicit scriptura. Hoc in se Euangelici dictum existiment.

Obijciunt Euangelici, permittendum esse quemlibet conscientiæ suæ, vt quodlibet credat. Sed audiant suum Bezam respondentem in Epist: quadam Theolog: *Libertatem conscientiæ permittere, sinere vnumquemque si volet perire, merè diabolicum dogma est. Et hæc est illa diabolica libertas, quæ Poloniam & Transsyluaniam hodie tot pestibus impleuit, quas nullæ alioqui sub sole regiones tolerarent, &c.* Notent ista Euangelici. Sed aiunt se liberos natos esse, ideo ad fidem non debere pœnis compelli. Sed eadem ratione, nullas sibi leges vel pœnas pro quocunq; crimine sinant imponi, & vt pullos

onagri, liberos se natos putent. At fides, aiunt, liberè est amplectenda, & meliùs est eam rationibus & argumentis suaderi, quàm extorqueri. Respondet B. Augustinus epistola iam citata. *Cur, inquit, cùm datum sit hominibus liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & sacrilegia permittantur? An fidem non seruare leuius est, animam Deo, quàm fœminam viro? Aut si ea quæ non contemptu, sed ignorantia religionis committuntur mitiùs vindicanda, numquid ideò negligenda sunt? Melius est quidem quis dubitauerit, ad Deum colendum doctrina homines duci, quàm compelli. Sed non quia isti meliores sunt, ideo illi qui tales non sunt, negligendi sunt: multis enim profuit quod experimentis probauimus, prius timore vel dolore cogi, vt postea possint doceri, aut quod iam didicerunt, opere sectari. Proponũt nobis quidam sententiam cuiusdam secularis authoris, qui dixit: Pudore & libertate liberos retinere, satiùs esse credo, quàm metu. Hoc quidem verum est, sed sicut meliores sunt quos dirigit amor, ita plures sunt, quos corrigit timor. Nam vt de ipso authore istis respondeatur, apud illum etiam legant. Tu, nisi malo coactus, rectè facere nescis.* Hæc Aug: præclarè. Et alio loco. *Si mala voluntas suæ permittenda est libertati, quare Paulus non est permissus vti pessima voluntate qua persequebatur Ecclesiam, sed prostratus est vt excæcaretur, & excæcatus est vt mutaretur, mutatus vt mitteretur, missus vt qualia fecerat in errore, talia pro veritate pateretur. Si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare monentur Patres in scriptupturis sanctis, filium durum non solùm verbis corripere, sed etiam latera eius tundere, vt ad bonam disciplinam coactus & domitus dirigatur. &c.* Idem August: epist: priùs citata, tacitè respondet nostris Euangelicis. *Vbi est, inquit, quod isti clamare consueuerunt, liberum est credere vel non credere: cui vim Christus intulit? quem coëgit?* Omnino id obiiciunt hodierni Euangelici: sed audiant Augustinum respondentem. *Ecce Paulum Apostolum, agnoscant in eo priùs cogentem Christum, & postea docentem; priùs ferientem, & postea consolantem. Mirum autem est, quomodo ille qui pœna corporis ad Euãgelium coactus intrauit, plus illis omnibus, qui solo verbo vocati sunt, in Euangelio laborauit. Et*

Epist: 201.

quem

quem maior timor compulit ad charitatem, eius perfecta charitas foras misit timorem. Cur ergò non cogeret Ecclesia perditos filios vt redirent, si perditi filij coëgerunt alios vt perirent. &c. Perpendãt ista Euangelici, qui nolunt cogi vt saluentur, & alios cogunt, vt pereant & damnẽtur. Negare enim non possunt multos, ac illis ad pereundũ per hæreses cogi atq; cõpelli. Sed cur ea lege in se vti alios nõ permittunt? Mira cœcitas. Cõcludam ergò, Melius esse Catholicis pro pace Ecclesiæ & Reip: vt vobis pacem Confœderationis petentibus negent, & postulationem vestram constanter repudient. Primò. Quia melius est illis vt DEO quàm hominibus obediant. DEVS autem vult & ab illis exigit, vt ne vestras hæreses permittant. Quare enim DEVS voluit esse vnam Ecclesiam, si eam per hæreses diuidi & discerpi vellet? Cur hæreticos lupis cõparauit, nisi vt significaret nullam iis cum ouibus, id est Catholicis, pacem & Confœderationem esse debere? Cur iussit suos à falsis Prophetis attendere, si legum beneficio sunt fouendi & protegendi, vt securiùs multos decipiant? Quid autem sibi voluit Apostolus dicens, ad Rom: 16. *Rogo vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis faciunt, & declinate ab eis.* quid inquam aliud voluit, quàm hæreticos esse fugiendos, nec cum illis aliquas pactiones & fœdera in religionis Catholicæ præiudicium esse ineunda? Secundò: Quia Catholici, vel sunt Prælati Ecclesiastici, vel Principes Politici. Prælatis Ecclesiasticis meliùs est, vt vobis pacem Confœderationis petentibus, ne ad aures quidem eiusmodi postulatum vestrum admittant. Quia meliùs est illis munere sibi iniũcto fungi, & baculo pastorali, quem gerunt. & oues ad bona pascua adducere, & lupos ouile infestantes abigere. Præclarè Augustinus epistola 50. *An non pertinet ad diligentiam pastoralem, etiam illas oues, quæ non violenter ereptæ, sed blandè leuiterq; seductæ, à grege aberrauerint, & ab alienis cœperint possideri, inuentas ad ouile Dominicum, si resistere voluerint, terroribus vel etiam doloribus reuocare?*

Epist: 201. care? Et alio loco: *Si mala voluntas sua permittenda est libertati, quare corripiuntur negligentes pastores, & dicitur eis: Errantem ouem non reuocastis, perditam non inquisistis, &c.* Meliùs itaque est Prælatis Ecclesiasticis, vt vos Euangelicos tanquam oues aberrantes & seductas, etiam paterna sua correctione ad ouile reuocent; vt dicere quisque vestrum suo pastori possit: Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Qui etiam si à vobis de hac sua seueritate necessaria accusentur, ita pro se cum Augustino in eadem Epistola respõdebunt: *Non ideo vobis (ô Euangelici oues nostræ palabundæ & errantes) displiceamus, quia reuocamus errantes, & quærimus perditos. Meliùs enim facimus voluntatem Domini monentis, vt vos ad eius ouile redigere cogamus, quàm consentiamus voluntati ouium errantium, vt perire vos permittamus. Nolite ergo iam dicere, quod assiduò vos audimus dicere: Sic volumus errare, sic volumus perire. Meliùs enim nos hoc omnino non permittimus quantũ possumus.* An non hac Augustini responsione iusta Episcopi Catholici, vestræ obiectioni & accusationi sufficienter respondebunt? Quid ergo ab illis postulatis, quod salua religione vobis concedere non possunt, vt vestri curam deponant, vt renitentes & ductum eorum sequi nolentes, reuocare pastorum more prætermittant? Sed eos pro pastoribus vestris sat scio non agnoscitis. At si Christi baptismo baptisati estis, inter oues eius censemini, ad eius ouile spectatis, pastori ab eo constituto S. Petro, & eius successoribus, & qui ad curam ouilis ab eo assumuntur, Episcopis iure subiecti estis. Indelebilis est character, quem in animabus vestris impressum geritis. Vtar verbis August:

Epist: 201. *Et vos Christi estis, characterem Dominicum portatis in Sacramento quod accepistis, sed erratis & peritis. &c.* Frustra ergo pastores vestros Episcopos Catholicæ Romanæ Ecclesiæ esse negatis, frustra curam eorum pastoralem subterfugitis, correctionem deprecamini. Quòd si qui vestrum baptisati non sunt, vt sunt inter Anabaptistas innumeri, etiam in eos Episcopi nostri ius habent, non vt in oues Christi, sed vt

in lupos

in lupos, ouile Dominicũ ſuis graſſationibus infeſtantes, quos ideò arcere ab ouili, ne ſæuiant in oues, poſſunt & debent.

Iam verò ſimilis propemodum eſt Principum politicorum ratio. Non illi quidem paſtorum in Eccleſia Chriſti locum tenent, ſed tamen pro ſua virili, Eccleſiam in pace conſeruare, & hoſtibus eius ſeſe opponere, eorumque vim & furorem, ea qua poſſunt ratione propulſare debent. Eorum videlicet eſt muneris, legibus Eccleſiam tueri, inimicos & hoſtes Eccleſiæ, qui pacem eius perturbant, & diuidunt vnitatem, coërcere. Audiant quid de eorum munere præclarè ſcribat S. Auguſtinus, aſſerens illa verba Pſal: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quomodo,* inquit, *Reges Domino ſeruiunt in timore, niſi ea quæ cõtra iuſſa Domini fiunt, religioſa ſeueritate prohibẽdo atq; plectẽdo. Aliter enim ſeruit (nempe Rex) quia homo eſt, aliter quia etiã Rex eſt, quia homo eſt, ei ſeruit viuẽdo fideliter: quia verò etiã Rex eſt, ſeruit, leges iuſta præcipientes & contraria prohibentes, conuenienti vigore ſanciendo. Sicut ſeruiuit Ezechias, lucos & templa idolorum, & illa excelſa quæ contra præcepta Dei fuerant conſtructa, deſtruendo. &c.* Et poſt pauca. *In hoc ergò ſeruiunt Domino Reges, in quantum ſunt Reges, cùm ea faciunt ad ſeruiendum illi, quæ non poſſunt facere niſi Reges.* Et paulò poſt. *Quis mente ſobrius Regibus dicat: Nolite curare in regno veſtro, quis velit eſſe ſiue religioſus, ſiue ſacrilegus* (aduertant moderni politici) *quibus dici non poteſt, non ad vos pertinet in Regno veſtro, quis velit pudicus eſſe, quis impudicus. &c.* Sed quid opus eſt Auguſtino teſte, cùm ipſi Miniſtri Euangelici, ſuos Reges & Principes doceant, vt Catholicos ab eis diſſentientes, pœnis grauiſſimis coërceant? Videtis itaque Euangelici, nec vobis qui petitis, nec Catholicis à quibus petitis, pacem Confœderationis, bono & vtilitati eſſe. Dicetis. Patrem familiâs prohibuiſſe colligi zizania, & meſſem iuſſiſe expectari. At ô vos infelices, ſi in agro Domini zizania eſtis, quid

vos

vos enim aliud manet, nisi caminus ignis, in quem ab eodem Patre familiâs zizania sunt coniicienda ad comburendum. Sed quamuis multa aliquando tollerari debent, quæ omnino prohiberi non possunt; tamen approbari & confirmari lege non debent: hoc enim esset omnem rationem pacis perturbare, & semen dissidiorum zizania seminare. Quare dum licet zizania esse desinite, & in triticum commutemini, vt cum Ecclesia Dei, & Republica nostra, pace fruamur optatissima, & dicamus:

Gloria in excelsis Deo:
Et in terra pax hominibus
bonæ voluntatis.